



BOLETÍN DEL CLERO  
DEL  
**OBISPADO DE LEÓN**

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI  
**LEONIS**

**DIVINA PROVIDENTIA**

**PAPAE XIII**

EPISTOLA ENCYCLICA

VENERABILIBUS FRATRIBVS

PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS

ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS

PACEM ET COMMUNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

**LEO PP. XIII**

**VENERABILES FRATRES**

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Divinum illud munus quod humani generis causâ a Patre acceptum Jesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatae, ita huc proxime altinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam floreat caelestem. Quamobrem omnes ad unum homines cuiusvis nationis et linguae Redemptor ipse invitare ad sinum Ecclesiae suae summa benignitate non cessat: *Venite ad me omnes; Ego sum vita; Ego sum pastor bonus.* Hic tamen, secundum

altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum. Atque iucunda memoratu ea sunt quae Christus, pa-  
lo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* (1) Haec enim affimans, causam discessus sui reditusque ad Pa-  
trem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis pro-  
fecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti: quem quidam una  
monstravit, a se aequa mitti atque adeo procedere sicut a Patre,  
eumdemque fore qui opus a semetipso in mortali vita exactum,  
deprecator, consolator, praceptor, absolveret. Multiplici nempe  
virtuti huiusce Spiritus, qui in procrea tione mundi *ornavit coelos* (2) et *replevit orbem terrarum*, (3) in eiusdem redemp-  
tione perfectio operis erat providentissime reservata.—Iambero  
Christi Servatoris, qui princeps pastorum est et episcopus ani-  
marum nostrarum, exempla Nos imitari, ipso opitulante, con-  
tinenter studuimus; religiose insistentes idem ipsius munus,  
Apostolis creditum in primisque Petro, *cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit.* (4) Hoc adducti consilio, cuaecum-  
que in perfunctione iam diuturna summi pontificatus aggressi  
sumus instandoque persequimur, ea conspirare voluimus ad  
duo praecipue. Primum, ad rationem vitae christianaee in socie-  
tate civili et domestica, in principibus et in populis instauram-  
dam; propterea quod nequaquam nisi a Christo vera in omnes  
profluat vita. Tum ad eorum fovendam reconciliationem qui  
ab Ecclesia catholica vel fide vel obsequio dissident; quum  
haec eiusdem Christi certissima sit voluntas, ut ii omnes in  
unico Ovili suo Pastore uno censeantur. Nunc autem, quum  
humani exitus adventantem diem conspicimus, omnino permo-  
vemur animo ut Apostolatus Nostri operam, qualemcumque ad-  
huc deduximus, Spiritui Sancto, qui Amor vivificans est, ad

---

(1) Ioann, XVI, 7.

(2) Iob. XXVI, 13.

(3) Sap. I, 7.

(4) S. Leo M. *Serm. II. in anniv. ass. sua.*

maturitatem fecunditatemque commendemus. Propositum Nostrum quo melius uberiorisque eveniat, deliberatum habemus alloqui vos per sollemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat efficiatque praeclarâ copia charismatum supernorum. Inde fiat, quod vehementer optamus, ut fides excitetur vigeatque in animis de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim pietas augeatur et caleat erga divinum Spiritum, cui plurimum omnes acceptum referre debent quotquot vias veritatis et iustitiae sectantur: namquemadmodum Basilius praedicavit, *Dispensationes circa hominem, quae factae sunt à magno Deo, et Servatore nostro Iesu Christo iuxta bonitatem Dei, quis neget per Spiritus gratiam esse adimpletas?* (1)

Antequam rem aggredimur institutam, nonnulla de Triadis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit attingere. Hoc namque *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causâ, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in testamento veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (2). Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus: *Quum de Trinitate loquimur cum cautela et modestia est agendum, quia, ni Angustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquit inveniatur* (3). Periculum autem ex eo fit. ne in fide aut in cultu vel divinae interse Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur; nam, *fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur*. Quare Innocentius XII, decessor Noster sollemnia quaedam honori Patris propria postulantibus omnino negavit. Qnod si singula Incarnati

(1) *De Spiritu Sancto* c. XVI, n. 39.

(2) *Ioan* I, 18.

(3) *Summ th.* 1.<sup>o</sup> q. XXXI, a. 2—*De Trin. l.*, I, c. 3.

Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festos celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus per se simpliciter honoraretur, sed ut eiusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolabererut. Quin etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum; tum altaria et templa eidem dicari permisit; atque Ordinem religiosorum captivis redimendis, qui Trinitati devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Christo tribuitur, is demun in Trinitatem ipsam redundat et desinit. In precationibus quae unī Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subiicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praecōnium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula (1)*; inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae quum una eademque singulis sit Personis, ideo singulis, tamquam uni eidemque Deo, aeterna aequa maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus, *Non confuse inquit, accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et per ipsum et in ipso; ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum (2)*.—Aptissimeque Ecelesia, ea Divinitatis opera in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trini-*

(1) Rom. XI, 36.

(2) *De Trin* I. VI, c. 19-1 c. 6.

*tatis essentia* (1), quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles* sunt, ita *inseparabiliter operantur* (2): verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur: *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis; et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriatio dicitur* (3). Hoc modo Pater qui est *principium totius Deitatis* (4), idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum, *ex ipso sunt omnia*; *ex ipso*, propter Patrem. Filius autem, *Verbum Imago Dei*, idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et conceptum imitantur; qui extitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliatur; *per ipsum sunt omnia*; per ipsum, propter Filium. Spíritus vero Sanclus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit, *in ipso sunt omnia*; in ipso, propter Spíritum Sanctum.

Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magis magisque in christiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti expoundam oratio Nostra convertitur.—Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illut eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic

---

(1) S. Aug. *de Trin.* I. 1, c. 4 et 5.

(2) Aug. *ib.*

(3) San Th, l.<sup>a</sup>, q. XXXIX, a 7.

(4) San Aug. *de Trin.* I. IV, c. 20.

Evangelia commemorent: *Inuenta est in utero habens de Spiritu Sancto, et: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* (1) Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas; quum hoc *magnum pietatis Sacramentum* (2) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (3) Accedit quod natura humana enecta inde sit ad coniunctionem *personallem* cum Verbo: quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, proptereaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus: *Iste modus, inquit, quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui Filius hominis, et Filius hominis quae unctione in sacris libris nominatur;* (5) atque adeo omnis qui *Filius Dei.* (4) Divini autem Spiritus opera non solum conceptio Christi affecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, eius actio *praesente Spiritu peragebatur,* (6) praecipueque sacrificium sui: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* (7).— Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affluerint. Namque in ipso copia insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit; in ipso omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae gratis datae, virtutes, donaque omnino omnia quae tum Isaiae oraculis nunciata, (8) tum significata sunt admirabili ea columba ad Jordanem, quum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecravit. Quo loco illa eiusdem Augustini recte conveniunt: *Absurdissimum est dicere quod Christus,*

(1) Matth. I, 18, 20.

(2) I Tim. III, 16.

(3) III, 16.

(4) *Enchir. c. XXXX—S. Th. 3.<sup>a</sup> q. XXXII, a I.*

(5) *Actor, X, 38.*

(6) S. Basil *de Sep. S. c. XVI*

(7) Hebr. IX, 14

(8) IV, 1; XI, 2, 3.

quum iam triginta esset annorum, accepit Spiritum Sanctum, sed venit ad baptismum, sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Tunc ergo scilicet in baptimate, corpus suum idest Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praeципue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum (1) Itaque Spiritus Sancti et praesentia conspicua super Christum et virtute intima in anima eius duplex eiusdem Spiritus praesignificatur missio, ea nimis quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exerceatur.

Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi adamivelut in ciuce durmientis, orta erat, sese in lucem hominum insigne modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsaque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea mira effusione quam Iоel propheta iampridem viderat (2); nam Paraclitus sedit super Apostolos ut novae coronae spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum. (3) Tum vero Apostoli de monte descenderum, ut Chrysostomus scribit, non tabulas lapideas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quemdam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes (4). —Ita plane eveniebat illud extremum Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo, qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quodammodo obsignaturus depositum: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vobis omnem veritatem.* (5) Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque una cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem: quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio praesentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit utque divinae doctrinae germina alere copiosius in dies possit et frugifera

---

(1) *De Trin.* I, XV, c. 26.

(2) II, 28, 29.

(3) Cyr hierosol, *catech.* 17.

(4) *In Matth. hom.* I, -II Cor. III, 3.

(5) Ioann. XVI, 12, 13.

praestare ad populorum salutem. Et quoniam populorum salus, ad quem nata est Ecclesia, plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Eclesiam conservat augetque: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum davit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* (1) Ad ipso namque episcopi consituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sea etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* (2) Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant, secundum illud Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritis Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. et quorum retinueritis, retenta sunt.* (3) Porro Ecclesiam opus ese plane divinum, alio nullo argumento praeclarius constat quam charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima: *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi quos est Ecclesia* (4). Quae ita quum sint, nequaquam conmisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque divini Spiritus manifestationem ei ostensionem: quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tandem manebit quoad Ecclesiae contingat ut militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiae educatur.

Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est quam quan intellectu paulo est difficilis, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum.—Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo anni similem dixerit, prout est apud Ioannem: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluunt aquae vivae:* cui tes-

(1) *Ib. XIV, 16, 17.*

(2) *Act. XX, 28.*

(3) *Ioann. XX, 22, 23.*

(4) *S. Aug. serm. CLXXXVII de temp.*

timoniō idem Evangelista explanationem subiicit: *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (1) Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus; quippe in Pentecostes non ita se Spiritus Sanctus tribuit, *ut tunc primum esse sanctorum inhabitator incuperet, sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus operere, quia ditior largitate* (2). Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius nihil difert a servo, quo usque est *sub tutoribus et actoribus* (3): ac, praeter quam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri, communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut erram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* (4). Statim igitur ut Christus, *ascendens in altum, regni sui gloria tan labore parte potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, dedit dona hominibus* (5). Nam, *certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam ontea fuerat neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat* (6). Siquidem natura humana necessario serva est Dei: *Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam* (7): quin etiam ub communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo extiterimus: *Eramus natura filii irae* (8) Tali nos a ruina existioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vindicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenitum suum: cuius

(1) VII, 38, 39.

(2) S. Leo M. *Hom. III. de Pentec*

(3) Gal. IV, 1, 2,

(4) VII, 39.

(5) Eph. IV, 8.

(6) S. Aug *de Trin* I, IV, c. 20.

(7) San Cyr. alex. *Thesaur.* I. V, c. 5

(8) Eph. II, 3.

beneficio factum, ut homo in gradum nobilitatenque, unde ex-ciderat, cum donorum locupletiore ornatu sit restitutus. Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea loculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati at creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et dei fici similibusque laudibus appellantur.—Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est *Spiritus adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba, Pater;* idemque paterni amoris suavitate corda perfundit: *Ipse Spiritus testimonium rededit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (1) Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam; quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis,* et *alii sanctificantur ut sint filii Dei adoptivi.* (2) Ita, multo quidem nobilior quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regenerationis, ab amore scilicet increato.

Huius regenerationis et renovotionis initia sunt homini per baptismum: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: *Quod natum est ex Spiritu, espiritus est.* (3) Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et rubor christianaee vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimicum fait victoria martirum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* (4) Ipse enimvero non modo affert novis divina munera, sed eorumdem est autor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei.*—Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt. Deun videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, *per potentiam, in quantum omnia eius potes-*

---

(1) Rom. VIII, 15, 16

(2) S. Th. 3., q. XXXII, a. 1.

(3) Ioann. III, 7.

(4) Rom. V, 5.

*tati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per esentiam, in quantum adest omnibus ut causa assendi.* (1) At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conqueriamus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimus et singularis; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plusquam amico amicus possit benevolente maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur.—Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ob ae discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum ve- et mansionem apud eum faciemus* attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiariis praedicatur. (2) Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, qua propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud eum re cohaeret, eundem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quapropter Apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* (3)—Inhabilantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munera caelestium multis modis consequitur. Nam, quae, est Aquinatis doctrina, *Quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi.* (4) In his autem muniberibus sunt arcanae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis

(1) S. Th. 1.<sup>a</sup> q. VIII, a 3.

(2) Ioann XIV, 23.

(3) I. Cor. VI, 19.

(4) Summ. th. 1.<sup>a</sup>, q. XXXVIII, a. 2.—S. Ang. de Trin. 1. XV, c 19.

aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sivolo; easque Doctor Angelicus scite consert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabida: *Cor habet quamdam influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit* (1).—Hoc amplius, homine iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates, agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritu Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitor ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitalis ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaque excellentiae ut in caelesti regno eadem, quamquam perfectius, perseverent, Ipsi rumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangelicas quae, perinde ad flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ad Apostolo enumerati, (2) quos hominibus iustis in hac etiam ca duca vita Spiritus parit et exhibet, omni refertos dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent a Spiritu, qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate per fundens omnes creature (3).—Itaque divinus Spiritus in aeterno Sanctitatis luminens a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Cristum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentia et gralia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saparent et ve llent, quasi de caelo caelestes.

Haec omnia quum tanta sint, quumque Spiritus Sancti bonitatem in nos immensam luculenter declarant omnino postulanta nobis, ut obsequii pietatisque studium in eum quam maxime intendamus. Id autem christiani homines recte optimeque efficient,

(1) *Summ. th. 3.*, q. VIII, a 1 ad 3.

(2) Gal. V. 23.

(3) S. Ang. *de Trin.* l. VI, c. 9.

si eumdem certaverint maiore quotidie cura et noscere et amare et exorare: cuius rei gratia sit haec ad ipsos, prout sponte fluit paterno ex animo, cohortatio.—Fortasse ne hodie quidem in eis desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperitne Spiritum Sanctum respondeant similiter: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus* (1). Sin minus, multi certe in eius cognitio ne valde deficiunt; cuius quidem crebro usurpant nomen in religiosis actibus exercendis, sed ea fide quae crassis tenebris circumfusa est. Quapropter quotquot sunt sacri concionatores curatoresque animarum hoc meminerint esse suum, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent diligentius atque uberioris populo tradant; sic tamen ut difficiles subtileisque absint controversiae, et prava eorum stultitia devitetur qui omnia etiam arcana divina temere conantur perscrutari. Illud potius commemorandum enucleateque explanandum est, quam multa et magna beneficia ab hoc largitore divino et manaverint ad nos et manare non desinant; ut vel error vel ignoratio tantarum rerum, *lucis filiis* incigna, prorsus depellatur. Hoc autem propterea urgamus, non modo quia id attingit mysterium quo ad vitam aeternam proxime dirigimur, ob eanque rem firme creedendum; verum etiam quia bonum quo clarius pleniusque habetur cognitum, eo impensis diligitur et amatur.—Nempe Spiritui Sancto, quod alterum praestandum esse monuimus, debetur amor, quia deus est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tuo, ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua* (2): Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius: multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis, quae ut largientis benevolentiam testantur, ita gratum animum accipientis reposcent. Qui amor duplicem habet utilitatem neque eam exiguum. Nam tum ad illestriorem in dies notitiam de Spiritu Sancto capiendam nos exacuet; *Amans enim, ut Angelicus ait, non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amatum pertinet intrinsecus disquirere, et sic ad interiora eius ingreditur, sicut de Spiritu Sancto, qui est amor Dei, dicitur quod scrutatur etiam profund*

(1) Act. XIX, 2

(2) Deut. VI, 5.

*Dei* (1): tum caelestium donorum copiam nobis conciliavit largior-  
rem, eo quod donantis manum ut angustus animus contrahit, ita  
gratus et memor dilatat. Curandum tamen magnopere ut iste  
amor eiusmodi sit qui non in cogitatione arida exteroque obse-  
quio subsistat, sed ad agendum prosiliat, refugiat maxime a cul-  
pa; quum haec Spiritui Sancto, peculiari quodam nomine, accidat  
injuriosior. Quanticumque enim sumus; tanti sumus ex bonitate  
divina; quae eidem Spiritui praesertim adscribitur: hunc benigne  
sibi facientem is offendit qui peccat, quique ipsis eius abusos  
muneribus et bonitati confisus, quotidie magis insolecit.—Ad  
haec, quum veritatis ille sit Spiritus, si quis ex infirmitate aut  
inscitia deliquerit, forsitan veritati repugnet ab eaque se aver-  
tat, in Spiritum Sanctum peccat gravissime. Quad quidem aetate  
nostra increbuit adeo, ut deterrima ea tempora advenisse videan-  
tur a Paulo praenunciata, quibus homines iustissimo Dei iudicio  
obsecrati, falsa pro veris habituri sint, et *huius mundi principi*,  
qui mendax est et mendacii pater, tamquam veritatis magistro  
credituri: *Mittet illis Deus operationem erroris ut credant men-  
dacio* (2): *in novissimis temporibus discedent quidam a fide, at-  
tendentcs spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum.* (3).—  
Quoniam vero Spiritus Sanctus in nobis, ut supra monuimus,  
quasi suo quodam in templo habitat, suadendum est illud Apostoli:  
*Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signatis  
estis* (4). Idque ipsum non satis est, indigna omnia defugere, sed  
omni virtutum laude christianus homo nitere debet, ut hospiti-  
tam magno tamque benigno placeat, castimonia in primis et  
sanctitudine: casta enim et sancta addecent templum. Hinc idem  
Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei ha-  
bitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdert  
illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (5) for-  
midolosae eae quidem, sed perquam iustae minae.—Postremo,  
Spiritum Sanctum exorari et obsecrari oportet, quipe cuius prae-  
sidio adiumentisque nemo unus non egeat maxime. Ut enim

(1) 1 Cor. II, 10-Summ th. 1.<sup>a</sup> 2.<sup>e</sup>, q. XXIII a. 2.

(2) Il Thess. II, 10.

(3) I Tim. IV, 1.

(4) Eph. IV, 30.

(5) I Cor. III, 16, 17.

quisque est inops consilii, viribus infirmus, aerumnis pressus, pronus in vetitum, ita ad eum confugere debet qui luminis, fortitudinis, consolationis, sanctitatis fons patet perennis. Atque illa homini in primis necessaria, admissorum venia, ab eo potissimum expetenda est: *Spiritus Sancti proprium est quod sit donum Patris et Filii; remissio eutem peccatorum fit per Spiritum Sanctum tam quam per donum Dei* (1): de quo Espiritu peratus habetur in ordine rituali: *Ipse est remissio omnium peccatorum* (2) Quanam vero ratione sit exorandus, perapte docet Ecclesia, quae suplex eum compellat et obtestatur suavissimis quibusque nominibus *Veni, pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium: consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium*: eundem que enixe implorat ut eluat, ut sanet, ut irriget mentes atque corda, detque confidentibus et virtutis meritum et salutis exilum et perenne gaudium. Nec dubitare ullo pacto licet an huiusmodi preces auditurus ille sit, quo auctore scriptum legimus: *Ipse Spiritus postulat pro novis gentibus inenarrabilibus* (3) Demum hoc est fidenter assidueque supplicandum, ut nos quotidie magis et luce sua illustret et caritatis suae quasi facibus incendai; sic enim fide et amore freti acriter enitamus ad praemia sempiterna quoniam ipsé est pignus hereditatis nostrae (4).

Habetis, Venerabiles Fratres, quae ad fovendum Spiritu Sancti cultum monendo hortandoque placuit edicere: minimeque dubitamus, quin ope praesertim navitatis sollertiaeque vestrae praeclaros in christiano populo sint fructus latura. Nostra quidem tantae huic rei persequendae nulla unquam defutura est opera, atque etiam consilium est ut, quibus subinde modis videbitur opportunius, idem pietatis studium tam praestabile alamus et provehamus. Interea, quoniam biennio ante; datis litteris *Provida matris*, peculiares preces, easque ad maturandum christiana unitatis bonum, in sollemnibus Pentecostes catholicis commendavimus, libet de hoc ipso capite am-

(1) *Summ. th. 3.<sup>a</sup> q. III a. 8 ad 3<sup>m</sup>*.

(2) *In Miss. rom. fer. III post Pent.*

(3) *Rom VIII, 26*

(4) *Eph. I, 14.*

pliora quaedam decernere. Decernimus igitur et mandamus ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecostes, in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicarint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram, rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus; tum plenariam in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communione refecti ad eamdem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii prudentiam, in templo res fieri possint; dum tamen supplicationi novendiali privatim detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publice vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, celerisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus pii igni purgatorio addictis converti in suffragium posse, misericorditer in Domino concedimus.

Iam Nobis mens animusque ad ea revolat vota quae initio aperuimus; quorum eventum summis precibus a divino Spiritu flagitamus, flagitabimus. Agite. Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus universae christianaee gentes coniungant suas, adhibita conciliatrice potenti et peraccepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilisque, probe nostis; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecationis Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti Apostolorum coronam adventum. Communes igitur preces perget ipsa suffragia suo benignissima roborare, ut ia universitate nationum tam miserere laborantium divina rerum prodigia per alnum Spiritum feliciter